

essent, et thesauro ecclesiastico essent præpositi, se presbyteris præponebant contra jus et antiquum totius orbis morem. Quod addit, episcopos ubique esse « ejusdem meriti », intelligendum est de charactere ordinis, non de potestate jurisdictionis. Confer textum Hieronymi in probationibus.

[Quoad primatum Romani Pontificis, juvat afferre quæ habet Benedictus XIV lib. II *de Synodo diac.*, cap. 1 : « Episcopatus Romanus ac totius Ecclesiæ catholicæ præfectura, in præsentis rerum ordine, non sunt duæ distinctæ sedes, neque duæ dignitates, quæ fortuito in una copulentur Romani Pontificis persona, quamvis secundum se spectatæ tales esse potuerint. Nam Petrus, universalis Ecclesiæ pastor a Christo Domino renuntiatus, potuisset utique, ea suprema Ecclesiæ præfectura retenta, nullius particularis Ecclesiæ regimen capessere, sicut reipsa nullius specialem administrationem suscepit primis aliquot a Christi Domini in cælum ascensione annis. Potuisset Antiochenam ecclesiam, quam deinde elegit pluresque annos episcopus gubernavit, perpetuo retinere. Potuisset denique Ecclesiam Romanam, ad quam postmodum suam transtulit sedem, relinquere, alio se conferre, et alterius urbis peculiarem curam seu episcopatum assumere. At cum hæc quæ fieri potuerunt minime facta sint, sed Petrus suam sedem Romæ fixerit, per annos viginti quinque firmiter retinuerit, et in ea martyrio coronatus gloriose obierit, sive id evenerit ex divino præcepto seu expressa revelatione ipsi Petro specialiter a Deo facta, sive ex sola voluntate Petri, licet divinitus inspirata : inde factum est ut supremi pontificatus prærogativa ita insita remanserit Romanæ sedi, ut qui in hac Petro succedit, necessario succedat in totius Ecclesiæ primatu Petro ejusque legitimis successoribus a Christo collato, quemadmodum bene explicant card. Bellarminus, *Controv.* tom. I, *de Romano Pontifice*, lib. II, cap. 12; Suarez, in *Defensione fidei adv. Anglic. sectæ error.*, lib. I, cap. 5, num. 4, et lib. III, cap. 13, num. 12; Petrus de Marca, in *dissert. I de singulari Primatu Petri*, num. 20; Marcus Antonius Capellus, in

disp. 2 *de Successione episcopi Romani in pontificatu*, cap. 1. Quamvis itaque possit in aliquo sensu dici, supremam Ecclesiæ monarchiam jure tantum humano esse annexam Sedi Romanæ, quia nimirum utriusque unio, nexus et alligatio ortum habuit ex facto Petri, attamen non videtur posse sustineri illorum opinio qui asserunt, præfatam annexionem ita esse de jure humano, ut possit ab Ecclesia dissolvi, et una ab altera separari. Etenim, posito quod Petrus suam sedem stabiliter Romæ collocaverit, et Romanam regens Ecclesiam obierit, nullus qui episcopus Romanus non sit potest dici verus Petri successor, ac propterea nunquam ad eum referri possunt verba Christi Domini : *Pasce oves meas*, *Joann.*, XXI, 17, quibus universalis Ecclesiæ curam Petro ejusque successoribus commisit. Quare jure ac merito ejusmodi paucorum opinionem refellunt et censura perstringunt Melchior Canus, *de Locis theol.*, lib. VI, cap. 4; Gregorius de Valentia, in *Analyti fidei catholice*, lib. VI, cap. 12, alique non pauci theologi. »

[Notandum tamen, primatum non esse præcise annexum Romæ tamquam locus determinatus physice consideratæ, seu Romanæ urbi ut tali, sed hujus urbis antistiti, ubicumque is moretur; quia, ubicumque fuerit, manet Romanus Pontifex, et ibi esse censetur Romana Sedes et Petri cathedra. Quare totis illis septuaginta annis quibus Pontifices Avenione habitaverunt, manebant episcopi Romani, et illic erat Roma seu sedes Romana, illiusque primatus ibidem durabat.]

### ARTICULUS III

#### *De vi et ratione primatus Romani Pontificis.*

[Sub hoc titulo naturam et extensionem primatus Romani Pontificis determinavit synodus Vaticana, constit. *Pastor æternus*, cap. 3. Huic definitioni nihil addendum videtur.

« Quapropter apertis innixi sacrarum litterarum testimoniis, et inherentes, tum prædecessorum nostrorum



Romanorum Pontificum, tum conciliorum generalium disertis perspicuisque decretis, innovamus œcumenici concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri, principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum conciliorum et sacris canonibus continetur.

» Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quæ vere episcopalis est, immediatam esse : erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicæ subordinationis veræque obedientiæ obstringuntur, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent ; ita ut, custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesiæ Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Hæc est catholicæ veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest.

» Tantum autem abest ut hæc Summi Pontificis potestas officiat ordinariæ ac immediatæ illi episcopalis jurisdictionis potestati qua episcopi qui, positi a Spiritu sancto, in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni : « Meus honor est honor universalis Ecclesiæ. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego

vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur<sup>1</sup> »

» Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam, jus eidem consequitur, in hujus sui muneris exercitio, libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiæ, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus et reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite posse impediri dicunt, aut eandem reddunt sæculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quæ ab Apostolica Sede vel ejus autoritate ad regimen Ecclesiæ constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis sæcularis placito confirmantur.

» Et quoniam divino Apostolici primatus jure Romanus Pontifex universæ Ecclesiæ præest, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium<sup>2</sup>, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri<sup>3</sup>; Sedis vero Apostolicæ, cujus autoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio<sup>4</sup>. Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant licere ab judiciis Romanorum Pontificum ad œcumenicum concilium, tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem, appellare.

» Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent ; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremæ potestatis ; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam, sive in omnes ac

1. Epist. ad Eulogium Alexand., lib VIII, ap. 30. — 2. Pii PP. VI Breve *Super soliditate*, die 28 nov. 1786. — 3. Concil. œcum. Lugdunense II. — 4. Epist. Nicolai I ad Michaellem Imper.



singulas ecclesias, sive in omnes ac singulos pastores et fideles; anathema sit.»

His reprobari censendæ sunt propositiones sequentes in *Syllabo præcipuorum nostræ ætatis errorum* ex mandato Pii IX publicato: XIX. «Ecclesia non est vera perfecta que societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis; sed civilis potestatis est definire quæ sint Ecclesiæ jura ac limites intra quos eadem jura exercere queat.» — XX. «Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.» — XXVIII. «Episcopis sine gubernii venia fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare.» — XXXIV. «Doctrina comparantium Romanum Pontificem principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quæ medio ævo prævaluit.» — XXXV. «Nihil vetat, alicujus concilii generalis sententia aut universorum populorum facto summum pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferri.» — XXXVII. «Institui possunt nationales Ecclesiæ ab auctoritate Romani Pontificis subductæ planeque divisæ.» — XXXVIII. «Divisioni Ecclesiæ in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.» — XLIX. «Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.» — LIV. «Reges et principes, non solum ab Ecclesiæ jurisdictione eximuntur, verum etiam in quæstionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.» — LV. «Ecclesia a Statu, Status ab Ecclesia sejungendus est.» Hæ propositiones, aliæque plus minusve de juribus Romani primatus detrahentes, jam antea reprobata, superiori synodi Vaticanæ definitione iterum fuerunt confossæ respectiveque damnata.

## ARTICULUS IV

*De infallibilitate seu inerrantia summi Pontificis in definiendis quæstionibus fidei et morum.*

## § I

*Prænotanda.*

*Nota 1<sup>o</sup>* hominem qui est Papa posse considerari dupliciter, ratione suppositi et ratione officii, seu ut hominem privatum et ut summum Pontificem Christi Vicarium, et utroque modo consideratum posse loqui. Tunc loquitur ut homo privatus, quando ex propria mente, non ex plenitudine potestatis, librum interpretatur, privatam opinionem aperit, quæstionem tractat et resolvit. Loquitur autem ut Pontifex, quando ut supremus Ecclesiæ pastor et caput aliquid proponit toti Ecclesiæ in rebus fidei et morum, obligans omnes fideles, sub pœna hæreseos, ad illud fide divina credendum: et sic dicitur loqui *ex cathedra*, hoc est ex plenitudine potestatis, quia per cathedram significatur auctoritas docendi et præcipiendi; unde illud *Matth.*, XIII, 12: *Super cathedram Moysi sederunt*, etc. Quidam hanc distinctionem recenter adinventam dicunt; sed, præterquam quod ex natura rei petitur, et in omnibus aliquod officium publicum gerentibus reperitur, non enim rex aut prætor seu judex semper agit ex officio ut rex aut judex, natio Gallica, anno 1303, adhibuit hanc distinctionem in libello dato Clementi V contra Bonifacium VIII, ut videbimus infra.

[*Nota 2<sup>o</sup>* ad hoc ut Papa censeatur ex cathedra loqui, plures requirere quod definiat libere, et non ex metu aut violentia, profusis ad Deum precibus, maturo rei definiendæ examine præmisso, præhabitaque consultatione Eminentissimorum Cardinalium; quia Christus Papam infallibilem constituit humano modo agentem, secundum quem decet homines gubernari, et mediis ordinariis uten-



tem. Alii tenent hæc, excepta libertate, non requiri; quia Spiritus sanctus assistentiam Petro et ejus successoribus promissam his adjutoriis extrinsecis non alligavit.

Non negamus quidem hæc media plus minusve adhibenda esse, pro rei gravitate; sed dicimus a fidelibus non inquirendum esse et sciendum an fuerint adhibita. Quo jure enim id requirerent, et a quo rescirent? Unde, hoc ipso quo constitutio in rebus fidei et morum emanat a summo Pontifice ut doctor universalis Ecclesiæ loquente, et omnes fideles eidem assensu interiori adhærere sub pœna hæreseos obligante, non licet eis supponere Papam aliquid necessarium omisisse; quia Deus, qui promisit Papæ infallibilitatem, certo providet de mediis necessariis ad hunc finem obtinendum. Etenim a synodo Vaticana definitum est, ut infra videbitur, « Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles esse. » Quo fundamento asseri possit earum valorem pendere a consensu cœtus qui ipse non est infallibilis et cujus existentia jure divino non pertinet ad constitutionem Ecclesiæ? ]

Quæstio præsens itaque non est de summo Pontifice ut homine privato, quem ut talem communior sententia tenet posse errare, sed de Pontifice ut Pontifice loquente ex cathedra. Circa quam est<sup>1</sup> duplex sententia: Prima Gallorum, qui, ut plurimum, tenent summum Pontificem non esse infallibilem in rebus fidei et morum, nisi accedente consensu Ecclesiæ, sive in concilio generali congregatæ, sive saltem per orbem diffusæ, ex declaratione Cleri Gallicani anni 1682, cujus articulus quartus sic habet: « In fidei quoque quæstionibus præcipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere; nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit. »

1. Hodie dicendum est: « Fuit duplex sententia, » opinione Gallorum e medio sublata per definitionem synodi Vaticanæ infra referendam; quæ opinio jam hæretica foret, si quis eam sustineret.

Alterâ sententiâ est omnium aliarum nationum, quæ constanter tenent, summum Pontificem loquentem ex cathedra, eo modo quo explicuimus, independentem a consensu Ecclesiæ, sive congregatæ sive diffusæ, esse infallibilem in quæstionibus fidei et morum dirimendis.

Quamvis autem hanc communem sententiâ aperte in Scripturis et traditione fundatam existimemus, ut patebit, eam tamen ut de fide obligante non proponimus, nec asserimus; quia Ecclesia, cujus est, secundum omnes, certo proponere revelata, nondum eam speciali et expresso decreto solemniter definivit, nec ad fidem obligantem sufficit certitudo respectiva revelationis.

[Hoc equidem ante synodum Vaticanam recte dicebatur. Nunc autem dicendum est, doctrinam quæ tenet summum Pontificem loquentem ex cathedra esse infallibilem independentem a consensu Ecclesiæ, non tantum communem sententiâ esse, sed tenendam esse tamquam de fide catholica, ut revelatam: quod ex sequentibus patebit.]

Nota 3<sup>o</sup> in definitionibus duo distinguenda esse, intentam definitionem, seu conclusionem, et rationes conclusionis aliave quæ obiter et occasione data dicunt Pontifices. De definitione seu conclusione intenta tantum intelligenda est sententiâ communis, non de rationibus definitionis, sive de iis quæ obiter et ex occasione dicuntur.

## § II

*Vera doctrina asseritur et invictis Scripturæ testimoniis probatur.*

Dico: Judicium Romani Pontificis loquentis ex cathedra in rebus fidei et morum est infallibile, independentem a consensu Ecclesiæ.

*Prob. ex triplici loco Scripturæ.* Primus est *Matth.*, xvi, 17-19, ubi Christus Petro confitenti ejus divinitatem dicit:



*Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in caelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum, etc.* Hæc verba dirigi ad solum Petrum probavimus art. 1<sup>o</sup>, ubi de primatu S. Petri. Item pertinere ad successores Petri in Romana Sede ostendimus art. 2<sup>o</sup>, ubi de primatu Romani Pontificis; cum enim Christus fundavit Ecclesiam in ævum duraturam, fundamentum illius debebat in ævum permanere in Petri successoribus. Neque de his modo difficultas est; hæc enim concedunt adversarii, qui ex hoc loco et sequentibus probant nobiscum adversus sectarios primatum S. Petri et Romani Pontificis.

*Subsumo*: Atqui his verbis continetur privilegium infallibilitatis promissum Petro et ejus successoribus. Ergo. — Prob. subsumptum. His verbis promittitur infallibilitas Ecclesiae. Atqui Ecclesia, seu ædificium, non potest esse indefectibile, si fundamentum cui innititur sit defectibile. Ergo.

[*Obj.* 1<sup>o</sup>: Per *Petram*, secundum omnes Patres et Pontifices, intelligitur tantum fides Petri. Ergo.]

*Resp.* 1<sup>o</sup> Aperte falsum est ant. 2<sup>o</sup> *Dato* ant., nihil contra nos concluditur. Una enim interpretatio non excludit aliam, sed optime conciliantur, dicendo quod Patres et Pontifices non intelligant fidem Petri in abstracto, sed in concreto, nempe Petrum divinitatis fidem profitentem, et hanc fidem fuisse causam meritoriam promissionis, Petrum autem subjectum cui facta est promissio.

[*Obj.* 2<sup>o</sup>: Infallibilitas fuit promissa, non Petro, sed Ecclesiae, cui soli est necessaria. Ergo.]

*Resp.* fuisse promissam utrique, Ecclesiae tamen per Petrum, non Petro per Ecclesiam; non enim Petrus est fundatus super Ecclesiam, sed Ecclesia super Petrum.]

Secundus locus est *Luc.*, xxii, 31 et 32, ubi Christus, instante passione, sic Petrum alloquitur: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego*

*autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* 1<sup>o</sup> Christus his verbis promittit Petro indefectibilitatem in fide; pro ea enim rogat, nec dubium est quin fuerit exauditus pro sua reverentia. 2<sup>o</sup> Hæc verba diriguntur soli Petro, non aliis Apostolis, nec in eis toti Ecclesiae. Facit enim apertam distinctionem Petri ab aliis Apostolis et a tota Ecclesia, cum dicit: *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*; et cum immediate dixisset in plurali: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos*, statim in singulari subjungit: *Ego autem rogavi pro te*, etc. Quod non dixisset, si omnes Apostolos, et in eis Ecclesiam, allocutus fuisset; sed dixisset: « Ego rogavi pro vobis, ut non deficeret fides vestra, et vos aliquando conversi, etc. » Imo neque id dicere potuit, cum Ecclesia constet fidelibus, et præter eos nulli sint in Ecclesia fratres, qui possint confirmari. 3<sup>o</sup> Quod præcipuum est, indefectibilitatem promittit Petro, non ut privatae personæ, sed ut pastori Ecclesiae, qualem ipsum instituturus erat, secundum promissionem factam *Matth.* xvi, 17-19, consequenter ejus successoribus. Promittit enim illi indefectibilitatem, ut confirmet fratres suos in fide; quod pertinet ad officium pastoris et capituli. Unde hæc propositio copulativa: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*, habet vim rationalis, seu causalis, quasi diceret: « Ideo rogavi ut non deficiat fides tua, ut tu confirmes fratres tuos; » vel: « Rogavi ut non deficiat fides tua. Tu ergo illa fide indefectibili præditus, confirma fratres tuos. »

Idque testantur SS. Patres, qui ex hoc loco inferunt infallibilitatem Romani Pontificis: S. Leo, Serm. 3 in hæc verba Lucae; S. Agatho, Epist. ad Constantinum imperatorem, quæ lecta et probata fuit in sexta synodo; Leo IX, Epist. ad Michaellem patriarcham Constantinop.; S. Bernard., Epist. 190<sup>1</sup>, ad Innoc. II; Innoc. III, Epist. 209, ad

1. Hanc epistolam, Horstio duce, in classem tractatum rejecerunt Benedictini. Undecimum locum habet inter opuscula, et inscribitur *De erroribus P. Abaelardi*. Interpretatio de qua modo legitur in præfatione.



patriarcham Constantinop. ; S. Thomas, 2<sup>a</sup> 2<sup>e</sup>, q. 1, a. 10, de quo infra.

*Respondent* adversarii, indefectibilitatem hic promissam Petro transmitti ad ejus successores, non hoc sensu quod quilibet sit in fide indefectibilis, sed hoc sensu quod nunquam futurum sit ut Petri successores, id est eorum series, atque successio sedesque cui præsint, atque Ecclesia quam docendam et regendam susceperint, a fide deficiant. Unde huic fidei nihil oberit, si aliquot Pontifices officio defuerint atque a fide aberrarint; stat enim Romana fides ab eorum antecessoribus stabilita, ab eorum successoribus vindicanda.

*Sed contra* : 1<sup>o</sup> Patres mox laudati ex his verbis probant indefectibilitatem, non Sedis Romanæ tantum aut Ecclesiæ, sed cujuslibet Romani Pontificis. 2<sup>o</sup> Juxta hanc intelligentiam, promissio indefectibilitatis, non soli Petro, sed Ecclesiæ facta est, cujus contrarium patet ex probatione. 3<sup>o</sup> Christus rogavit, non tantum ut fides non esset simpliciter et absolute defectura, sed ut non esset defectura in Petro. Ergo nec in quolibet ejus successore. 4<sup>o</sup> Si unus ex Petri successoribus deficiat a fide docendo, non poterit confirmare suos fratres, quod ne unquam contingeret, rogavit Christus. 5<sup>o</sup> Si unus Pontifex loquens ex cathedra possit errare et erret in fide, quomodo Sedes inviolata permanet? Quomodo fides in ea subsistit? Debet enim Sedes audire sedentem et illi obsequi. Fuit, inquit, in antecessoribus, erit in successoribus. Esto, sed nunc non est.

*Instant*, ipsa voce *confirmandi* non indicari supremum et indeclinabile judicium; nam, *confirma*, hoc est, quantum in te est, enitere ut firmi sint. *Misimus enim Timotheum*, inquit Apost., I *Thess.*, III, 2, *ad confirmandos vos*. Et cuique episcopo dictum est, *Apoc.*, III, 2 : *Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant*. Ergo.

*Resp.* nos non ex hac sola voce, *confirma*, sed ex tota periodo : *Ego rogavi, etc., et tu confirma, etc.*, probare judicium Romani Pontificis esse supremum, indeclinabile et infallibile; quia his verbis Christus promittit Petro et

cuique ejus successoribus indeficientiam in fide, ut confirmet fideles, sicque eorum constituit supremum et infallibilem judicem in rebus fidei; quod dici non potest de Timotheo aut quovis alio episcopo.

Tertius locus est *Joann.*, XXI, 15 et 17, ubi Christus soli Petro præ cæteris Apostolis totius Ecclesiæ curam committit : *Pasce agnos meos, pasce oves meas*. Vide art. 1<sup>o</sup> de primatu S. Petri ampliorem hujus loci expositionem ad rem nostram. Debet ergo Petrus, et quivis ejus successor, pascere universam Ecclesiam verbo doctrinæ, illum debet audire Ecclesia et ejus doctrinam sequi. Ecclesia autem non potest falsam doctrinam sequi; est enim indefectibilis. Ergo nec Petrus, nec quivis ejus successor, potest Ecclesiæ falsam doctrinam proponere. Et sane absonum foret quod gregi infallibili præficeretur pastor fallibilis; tunc enim potius grex pastorem, quam pastor gregem deberet pascere et regere.

*Reponunt*, ex his verbis : *Pasce oves meas* indicari tantum officium Petri, non autem præstari ut præceptum officium impleatur; alioquin sequeretur quod Petrus et ejus successor, non modo in doctrina nunquam peccaturus esset, sed nec in ulla parte officii pastoralis, cum nulla profecto sit quam non illa vox complectatur.

*Resp. Nego* ant. Absurdum enim foret, ut dixi, gregi infallibili præficere pastorem fallibilem. — Ad prob., *nego* seq. 1<sup>o</sup> Ex his verbis inferimus jure infallibilitatem Pontificis in fide proponenda Ecclesiæ; quia Ecclesia est indefectibilis in fide suorum membrorum, cujus indefectibilitas infringere, si pastor proponeret ipsi falsam doctrinam quam deberet sequi. At non sic est indefectibilis in moribus suorum membrorum. Unde non sic est necesse quod pastor sit impeccabilis in aliis partibus pastoralis officii, sicut in fide proponenda. 2<sup>o</sup> Quia quamdiu permanet fides, subsistit compago Ecclesiæ, estque radix qua permanente aliæ virtutes reviviscere possunt. At, ea sublata, non subsistit corpus Ecclesiæ et omnis ferme spes salutis aufertur. Unde id maxime et super omnia debet curare pastor spiritualis, ut fides servetur incorrupta in grege.



Et hinc habes cur cæteri episcopi, qui sunt etiam pastores, non gaudeant privilegio infallibilitatis. Cum enim privato tantum gregi præsent, eorum error Ecclesiam universam non inficeret, sed gregem tantum; et aliunde, cum sint supremo pastori infallibili subordinati, eorum error ab ipso emendari potest.

*Confirm.* conclusio argumento ad hominem. Theologi Gallicani ex his locis Scripturæ citatis probant nobiscum contra hæreticos primatum Romani Pontificis supra universam Ecclesiam. Quidni infallibilitatem, cum non magis in his locis exprimitur primatus quam infallibilitas?

## § III

*Probatur conclusio ex Patribus.*

Præter jam laudatos § præcedenti SS. Patres, legendi sunt S. Irenæus, lib. II *adversus Hæreses*, c. 3; S. Hippolytus Martyr, orat. *de Consummatione mundi*; S. Basilius, Epist. 74; S. Flavianus, Epist. ad S. Leonem; S. Cyprianus, lib. *de Unitate Ecclesiæ* et Epist. 55; S. Ambrosius, in *Psal.* XL: « Ubi Petrus, inquit, ibi Ecclesia; » S. Hieronymus, Epist. 57, ad Damasum Papam: « Quicumque, inquit, tecum non colligit, dispergit; » et in *Expositione Symboli*, ad eundem.

Augustinus post damnatam ab Innoc. I Pelagianam hæresim, serm. 2 de verbis Apostoli, nunc 131, c. 10, dicit: « Jam de hac causa duo concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error! » Et in *Psal.* *contra partem Donati*, de Romano Pontifice: « Ipsa est petra, inquit, quam non vincunt superbæ inferorum portæ. »

S. Thomas quærit in hac 2<sup>a</sup> parte 2<sup>m</sup>, q. 1, a. 10: « Utrum ad summum Pontificem pertineat fidei symbolum ordinare? » Et respondet sic: « Dicendum quod nova editio symboli necessaria est ad vitandum surgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad

cujus auctoritatem pertinet FINALITER DETERMINARE EA QUÆ SUNT FIDEI, UT AB OMNIBUS INCONCUSSA FIDE TENEANTUR. Hoc autem pertinet ad auctoritatem summi Pontificis, ad quem majores et difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in Decretal., tit. *de Bapt.*, c. *Majores*. Unde et Dominus, *Luc.*, XXII, 32, Petro dixit, quem summum Pontificem constituit: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*. Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiæ, secundum illud, I *Cor.*, I, 10: *Id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata*. Quod servari non posset, nisi quæstio fidei exorta determinetur per eum qui toti Ecclesiæ præest, ut sic EJUS SENTENTIA A TOTA ECCLESIA FIRMITER TENEATUR. Et ideo AD SOLAM AUTHORITYTATEM SUMMI PONTIFICIS pertinet nova editio symboli, sicut et omnia alia quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare synodum generalem, et alia hujusmodi. »

Ibid., ad 2<sup>m</sup>: « Pertinet, inquit, ad summum Pontificem [ordinare novum symbolum fidei], cujus auctoritate synodus congregatur, et ejus sententia confirmatur. »

Item q. 11, a. 2, ad 3: « Universalis Ecclesiæ auctoritas principaliter residet in summo Pontifice; dicitur enim 24, q. 1<sup>a</sup>: « Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror « omnes fratres et coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, « id est ad sui nominis auctoritatem referri debere. » Contra cujus auctoritatem nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis sacrorum doctorum suam sententiam defendit. Unde dicit Hieronymus ad Damasum Papam: « Hæc est fides, Papa beatissime, quam in catholica didicimus Ecclesia; in qua si minus perite aut parum caute forte « aliquid positum est, emendari cupimus a te, qui Petri « et fidem et sedem tenes. Si autem hæc nostra confessio « apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me eul- « pare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam « non catholicum, non me hæreticum comprobabit. » Hæc

1. Id est, Decret., causa 24, quæst. 1, cap. *Quoties*, ex epist. Innoc. I ad concil. Milevitanum.



plana sunt et aperta, nec nos clarioribus terminis sententiam nostram expriminus. Nihilominus

*Respondent* pontificiæ infallibilitatis osores, post Gersonem, S. Thomam concedere Pontifici supremam et plenam potestatem ecclesiasticam respective ad singulos fideles et particulares ecclesias, non respective ad totam Ecclesiam.

*Sed contra.* Non est nunc quæstio de potestate ecclesiastica Pontificis in universum, de qua art. subseq.; licet aperte exprimat hic S. Thomas eam esse supremam et plenam respective ad totam Ecclesiam: « Toti Ecclesiæ præest, » inquit. Sed est quæstio de ejus infallibilitate. Formalissime autem docet S. Doctor, quod « ad solam auctoritatem » summi Pontificis pertineat edere symbolum fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur.

At, inquirunt, per « solam » intelligit S. Doctor *præcipuam*.

Per fidem numinum! quis unquam tō « solam » interpretatus est *præcipuam*. Si præcipua, non sola; si sola, non præcipua. Dum dico: « Ad solam auctoritatem regis pertinet condere leges pro toto regno, » quis finget me per « solam » intelligere *præcipuam*? Neque juvat quod S. Thomas, in arg. *Sed contra*, dicat symbolum esse auctoritate universalis Ecclesiæ editum. Norunt enim omnes, apud D. Thomam levis esse ponderis probationem desumptam ex argumento *Sed contra*. Sed nec negamus symbolum esse Ecclesiæ auctoritate editum, verum, juxta S. Doctorem, auctoritate mutuata a summo Pontifice, qui « præest toti Ecclesiæ, » et ad cujus « solam auctoritatem » pertinet edere symbolum, congregare et confirmare synodos generales, et gerere omnia quæ pertinent ad totam Ecclesiam<sup>1</sup>.

1. Et hoc ipsum discrete enuntiatur in prædicto argumento, ubi dicitur: « Sed contra est, quod editio symboli facta est in synodo generali. Sed hujusmodi synodus auctoritate solius summi Pontificis potest congregari, ut habetur in *Decreto*, dist. 17. Ergo editio symboli ad auctoritatem summi Pontificis pertinet. »

Sed quid moramur in hac violenta interpretatione refellenda, cum habeamus S. Thomam illam discrete excludentem? « Sicut posterior synodus, inquit, q. 10 de *Potentia*, a. 4, ad 13, potestatem habet interpretandi symbolum a priori synodo conditum, ac ponendi aliqua ad ejus explanationem; ita etiam Romanus Pontifex hoc sua auctoritate potest, cujus auctoritate sola synodus congregari potest, et a quo sententia synodi confirmatur, et ad ipsum a synodo appellatur. Quæ omnia patent ex gestis synodi Chalcedonensis. NEC EST NECESSARIUM QUOD AD EJUS EXPOSITIONEM FACIENDAM UNIVERSALE CONCILIIUM CONGREGETUR. » Ad solam ergo, ad solam et non tantum ad præcipuam in generali concilio summi Pontificis auctoritatem pertinet ordinare symbolum fidei, et finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur.

Hæc subodorati sunt perspicacissimi theologi. Unde tandem concludunt quod, si S. Thomas concesserit summo Pontifici infallibilitatem absolutam et independentem ab Ecclesiæ consensu, liceat ipsis in doctrina Patrum qui antecesserint et in posterioribus concilii Constantiensis decretis tuto quiescere.

Ergone S. Thomas in doctrina Patrum cæcutiit, is cujus maxima laus est quod SS. Patrum os fuerit, et omnes in se quasi uno transfuderit? S. Thomas, inquam, de quo celeberrima Parisiensis Academia in decreto sub Stephano Episcopo Parisiensi edito hæc canit: « Divus Thomas fuit universæ Ecclesiæ lumen præfulgidum, gemma radians clericorum, fons doctorum, UNIVERSITATIS NOSTRÆ SPECULUM CLARISSIMUM et candelabrum insigne ac lucens, per quod omnes qui vias vitæ et scholas doctrinæ sanæ ingrediuntur, lumen vident. » Plura non urgeo. De concilio Constantiensi dicam art. subsequenti.

#### § IV

##### *Probatur ex conciliis et Pontificibus*

De concilio Sardicensi vide art. 2<sup>um</sup> præcedentem.



De concilio Ephesino, ibidem, probatione secunda, vidimus quod Patres « coacti per epistolam Cælestini Papæ, » sententiam in Nestorium dixerint.

De concilio Chalcedonensi etiam, eod. art., diximus quod, act. 2, lecta celebri epistola S. Leonis ad S. Flavianum, Patres exclamaverint : « Hæc Patrum fides... Petrus per Leonem locutus est. » Item, concilio finito, Patres rogarunt S. Leonem ut sancita in concilio confirmaret. Confirmavit autem dumtaxat ea quæ ad hæresim Eutychnam spectabant, improbavit et rescidit ea quæ privilegia Ecclesiæ Constantinopolitanæ spectabant.

*Opponunt* adversarii et multum urgent examen celebris epistolæ sancti Leonis ad Flavianum factum a synodo ; ex quo inferunt, iudicium summi Pontificis in causis fidei non esse ir retractabile.

*Resp.* istud examen factum fuisse, non quod synodus suspicaretur ullum in ea epistola errorem ; jam enim antea, quod bene notandum est, illi absque examine subscripserat, et sæpe Patres clamaverant : « Sicut Leo, ita credimus. Petrus per Leonem locutus est. Epistolæ omnes subscripsimus. Sufficiunt ad fidem quæ exposita sunt, alteram expositionem non licet fieri. » Factum est ergo istud examen post jam receptam epistolam, ut magis convincerentur Eutychni, qui eam execrabantur ut Nestorianam, et ut nulla amplius illis esset ratio eam retractandi, quæ consensu totius Ecclesiæ firmaretur, ut dicit ipse sanctus Leo, epist. 65, ad Theodoretum, et Patres synodici in relatione ad Marcianum Imperatorem : « Credentibus, inquit, loquendo de ista epistola, sufficit ad utilitatem fidei indiscussa perspectio, ad confessionem pii dogmatis devotos pertrahens animos. Hos autem qui doctrinam rectam pervertere moliantur, ad singula quæ male pariunt oportet occurrere. »

Unde, quando Patres V synodi, collat. 6, ut pararent sibi viam ad condemnationem epistolæ Ithæ, quæ non fuerat discussa nec probata in concilio Chalcedonensi, dixerunt epistolam S. Leonis non fuisse receptam in eodem concilio sine inquisitione et collatione cum doc-

trina Patrum : vel erraverunt in facto, ut patet ex actis concilii Chalcedonensis ; vel intelligunt de secunda receptione, quæ fuit tantum amplior declaratio primæ, ad majorem et efficaciorum confutationem Eutychnorum.

Agatho Papa occasione VI conc. generalis, Constantinop. III, anno 680, scripsit duas epistolas Imperatori Constantino Pogonato, primam solus, secundam cum concilio Romano. In secunda secure pronuntiat, se suis legatis ad concilium mandasse, ut quæ ipse cum suo concilio definierat non examinarentur tamquam dubia et incerta, sed ut certa et immutabilia publicarentur. Et in eos qui contradicerent sententiam condemnationis profert. Hæc autem epistola lecta fuit in concilio, act. 4, et ab omnibus, act. 8, probata et subscripta, nullo contradicente, excepto uno Macario monothelita, qui ideo fuit depositus.

In prima epistola dicit Agatho, Ecclesiam Romanam et Romanos Pontifices nunquam in fide defecisse aut deficere, sed eorum partes esse fratres in fide confirmare, idque semper præstitisse suos prædecessores.

Hanc epistolam, sicut præcedentem, pariter Patres susceperunt, act. 18, singuli sigillatim suo ordine assentientes, et in sermone acclamatorio dixerunt : PER AGATHONEM PETRUS LOQUEBATUR. Et in epistola ad ipsum Agathonem : « Tibi, ut primæ Sedis Antistiti universalis Ecclesiæ, quid agendum sit relinquimus stanti super firmam fidei petram. »

*Reponit* quidam, epistolas Agathonis non fuisse receptas sine prævio examine ; ex quo infert, non habitas fuisse a concilio infallibiles.

*Resp.* 1º unum aut alterum dumtaxat ex Patribus mentionem fecisse examinis, cæteros omnes simpliciter suffragatos fuisse, nulla facta mentione examinis.

*Resp.* 2º. *Dato* antecedente, nego illationem. Non enim quicumque aliquam doctrinam examinat, de ejus veritate dubitat. Sic theologi quotidie examinant Scripturas sacras, decreta conciliorum œcumenicorum, ea cum Scriptura